Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26214
Copyright: Admont, Benediktinerstift



percussionis uerba erumpens tanto de se rectius iudicia ferien
tis interrogat. quanto in se uerius causas in se passionis ignorat.
Liphaph itaque quia hunc percussum non probationis examine sed
purgationis necessitate estimauit. dum libere inter flagella
loqueretur reprobasse dei increpationem credidit. Quem apte etiam
hereticorum tenere speciem diximus. qui omne quod a sancta ecclesia recte
agitur. apud iudicium suum semper ad uicium tortitudinis in
flectunt. Quia uero bona intentione ad loquendum ducitur. sed non
curat discernere cui loquatur. adhuc superne dispensationis
moderamina predicando subiungit dicens. Quia ipse uulnerat
et medetur. percutit et manus eius sanabunt. Duobus modis omnipotens
deus uulnerat. quos reducere ad salutem curat. Aliquando enim
carnem percutit. et mentis duriciam suo pauore tabefacit. Uulne
rando ergo ad salutem reuocat. cum electos suos affligit exterius ut
interius uiuant. Unde per moysen loquitur dicens. Ego occidam
et uiuere faciam. percutiam et ego sanabo. Occidit enim ut
uiuificet. percutit ut sanet. quia idcirco foras uerbera admouet.
ut intus uulnera delictorum curet. Aliquando autem etiam si fla
gella exterius cessare uideantur intus uulnera infligit. quia mentis nostre
duriciam suo desiderio percutit. sed percutiendo sanat terroris sui ia
culo transfixos ad sensum sue rectitudinis reuocat. Corda enim
nostra male sana sunt cum nullo dei amore sauciantur. cum peregrina
tionis sue erumnam non sentiunt. cum erga infirmitatem proximi
nec quamlibet minimo affectu languescunt. sed uulnerantur
ut sanentur. quia amoris sui spiculis mentes deus insensibiles
percutit. moxque has sensibiles per ardorem caritatis reddit. Unde
et sponsa in canticis canticorum dicit. Uulnerata caritate ego sum.
Male enim sana anima atque in huius exilii ceca securitate prostrata.